



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE  
**BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ  
دار الصحافة التابعة للكرسى الرسولي BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ

N. 0749

Sabato 16.11.2013

**LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL IV CONGRESSO MISSIONARIO AMERICANO (CAM 4) E DEL IX CONGRESSO MISSIONARIO LATINOAMERICANO (COMLA 9) (MARACAIBO, VENEZUELA, 26 NOVEMBRE - 1° DICEMBRE 2013)**

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL IV CONGRESSO MISSIONARIO AMERICANO (CAM 4) E DEL IX CONGRESSO MISSIONARIO LATINOAMERICANO (COMLA 9) (MARACAIBO, VENEZUELA, 26 NOVEMBRE - 1° DICEMBRE 2013)

In data 28 settembre 2013, è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Fernando Filoni, Prefetto della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli, ad Inviato Speciale del Santo Padre alle celebrazioni del IV Congresso Missionario Americano (CAM 4) e del IX Congresso Missionario Latinoamericano (COMLA 9), in programma a Maracaibo, dal 26 novembre al 1° dicembre 2013.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre al Cardinale Fernando Filoni:

**• LETTERA DEL SANTO PADRE**

Venerabili Fratri Nostro  
**FERDINANDO S.R.E. Cardinali FILONI**  
Praefecto Congregationis pro Gentium Evangelizatione

Verba Concilii Oecumenici Vaticani II "Ecclesia peregrinans natura sua missionaria est" (*Ad gentes divinitus*, 2) dum meditamus, de evangelizatione cogitamus quam Ecclesia altiore usque modo explendam considerat. Etenim "cum haec missio continuet et per decursum historiae explicit missionem ipsius Christi, qui evangelizare pauperibus missus est, eadem via, instigante Spiritu Christi, Ecclesia procedere debet ac ipse Christus processit, via nempe paupertatis, oboedientiae, servitii" (*ibidem*, 5). Hanc viam Nos vario modo proclamare non cessamus et libentes etiam omnia Episcoporum in orbe incepta ad diffusionem Evangelii perficienda inspicimus aqua precibus Nostris prosequimur.

Laeto igitur gratoque animo accepimus Maracaibi, in Venetiola, IV Congregationem Americanam Missionariam atque IX Congregationem Missionariam Americae Latinae proxime celebratum iri, quarum participes potissimum de discipulis missionariis Iesu Christi loquentur in mundo operantibus saeculari et multipli in provincia cultus

humani. Pastores et christifideles laici in illis Continentibus degentes spiritale iter quibusdam sub aspectibus perscrutari volunt atque quaedam offerre proposita quoad futuram navitatem Ecclesiae his in orbis regionibus.

Cum de magni momenti eventu agatur, Venerabilis Frater Ubaldus Raimundus Santana Sequera, F.M.I., Archiepiscopus Metropolita Maracaibensis, humanissime Nos rogavit ut quendam insignem Purpuratum designaremus qui Congressiones participaret atque verba spiritualis cohortationis Nomine Nostro pronuntiaret. Piae huic postulationi adnuere volentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, decurrimus qui, munus Praefecti Congregationis pro Gentium Evangelizatione exercens, aptus omnino videris ad huiusmodi missionem fructuose explendam. Itaque hisce Litteris MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM Te nominamus ad memoratas Congressiones quae a die XXVI proximi mensis Novembris ad diem I mensis Decembris Maracaibi perficientur.

Nostras vices illic agens, sacris Pastoribus et per eos dilectis Americae fidelibus Nostram caritatem palam manifestabis, quos omnes ad diligentiores usque Christi imitationem cohortaberis: oportet enim ut novis viribus novoque studio peculiarem dilectionem Christi, Ecclesiae et Evangelii demonstrent atque, fidei virtute ardentes, regnum Christi ubique diffundant eique advenienti vias praeparent.

Nos autem Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus ferventer comitabimur. Denique Benedictionem Nostram Apostolicam libentes Tibi impertimus, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus et singulis Congressionum participibus rite transmittes.

Ex Aedibus Vaticanis, die XIV mensis Octobris, anno MMXIII, Pontificatus Nostri primo.

FRANCISCUS

[01690-07.01] [Testo originale: Latino]

---